



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quæ sint, & decantur mutuæ petitiones, & inter quam personas locum habeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quàm criminalibus, cùm iudicium nondum propriè ceptum sit, & pœnitere liceat, modò reo novæ dilationes concedantur, & de damno, si quod passus est ratione mutationis, talis reddatur securus: post litem verò contestatam, mutare non potest libellum Actor, nisi inchoatâ novâ instantiâ novum libellum offerre velit cum refusione expensarum *juxta c. Examinata 15. de judiciis*. Si quid tamen obscurius in libello dictum declarare velit, concessum hoc illi est tam ante, quàm post litem contestationem, usque ad conclusionem causæ, cùm per talem accidentalem emendationem cau-

sæ status, ad quem per litem contestationem quasi contractum est, nihil immutetur. Effectus autem libelli oblatus est, quòd secundùm petitionem in libello factam sit ferenda sententia, & quamvis si nihil intersit rei conventi, ut lis cœpta perficiatur, à lite proseguenda desistere possit actor, etiam post litem contestationem, si tamen intersit rei conventi, ob expensas v. g. factas, ut lis perficiatur, debet eam proseguere Actor, & ad finem perducere, ita ut in contumaciam etiam condemnari possit, si litem proseguere nolit.

T I T U L U S IV.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

§. I.

Quæ sint, & dicantur mutue petitiones, & inter quas personas locum habeant?

Mutue petitiones rectè dicuntur, conventio ex parte Actoris & reconventio ex parte rei, si scilicet petente rem aliquam actore coram Iudice à reo, reus hic in eodem iudicio coram eodem Iudice, vicissim aliquid ab Actore petit, ita ut mutue hæ petitiones aliud non sint, quàm duæ petitiones ex parte litigantium factæ, Rei quidem conventi, Actoris verò reconventi coram eodem Iudice, & in eodem iudicio, quæ mutue petitiones (observatis tamen observandis) licitæ sunt, etiam si per se Actoris reconventi competens Iudex non

sit, coram quo reus conveniri debuit, æquum enim est, ut quem in sua causa conventi rei elegit Iudicem actor, eum contra se reconventum patiatur. Soli autem reo convento ex personis litigantibus reconventio conceditur, ne si actori etiam reconventio concedatur, in infinitum circa mutuas has petitiones abeat. *c. 2. de rescript. in 6.* & quia reconventio rationem actionis habet, hinc nulli conceditur, nisi qui in iudicio agere potest.

§. II.

Coram quo Iudice fieri possit reconventio?

Coram quo Iudice de causa principali legitime conventus est Reus, coram eodem reconveniri à Reo potest Actor, sive ordinarius hic sit rei conventi

K k 3

Iudex,